

34.

DISSE^TAT^O CHEMICA
DE
CUPRO ALBO SINENSI,

CUJUS
PARTEM SECUNDAM

CONS. AMPLISS. FACULT. PHILOS.

PRÆSIDE
MAG. *JOHANNE GADOLIN,*
CHEMIE PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO,
PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICO EXAMINI SUBJICIT
LAURENTIUS JOHANNES PRYTZ,
NOBILIS, WIBURGENSIS.

IN AUDIT. MEDICO DIE XXVII. JUNII MDCCCX.

H. A. M. S.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

D I S S E R T A T I O N I S C H E M I C A E

DE

C U P R O A L B O S I N E N S I.

P A R S S E C U N D A.

§. 9.

De efficacia acidorum in metallum Sinense.

E xperimentis via secca institutis, qualia in prima dissertationis parte relata sunt, evitari non potuit, quin peregrinæ substantiæ sese corporibus examinandis immiscerent, horum vero nonnullæ partes perderentur, proptereaque manca esset, quæ horum acquireretur cognitio. Quo itaque proprius accederemus ad analysin metalli Sinensis perficiendam, humidam secuturi viam, primum curæ nobis fuit, ut videremus quomodo acida nonnulla cum illo se gererent. Huic proposito convenienter sic processimus.

A) 0,328 l metalli Sinensis, additæ acidi sulphurici 1,25 semunciiis, tenebantur in leniore caloris temperatura. Post aliquot horas observavimus liquorem obtinuisse colorem dilute violaceum, simulque odorem sensimus acidi sulphurosi. Cum deinde liquorem majori caloris gradui exponeremus, vidimus ipsum lacteum evasisse ex immixto pulvere cinereo, qui pendentim ad fundum vasis subsidebat. Autò calore usque ad

E

ebul.

ebullitionem acidi, maximam hujus partem evaporare fecimus. Addidimus aquam, ut solveretur sulphuris productus, & observavimus vix vigesimam partem metalli cum acido conjunctam fuisse. Remanserunt namque 0,3119 l. ejus ceterum intacti, nisi quod superficies coloribus nigro, fusco & rubro, atque absentia nitoris oxidationem nonnullarum particularum ostenderet.

1) Solutio sulphatis maxime parum lactea, ex admixta aqua in digestionis calore magis turbida fuit, & pulverem ochraceum depositum, qui colatione separatus & siccatus luteum obtinuit colorem & pondus 0,0007 l. Hic, vi ignis obscurior, ruber, deinde nigricans factus, magneti admoto fortiter adhaesit. Cum borace vitrum exhibuit in igne semiopacum, sub refrigeratione pellucidum flavum, post refrigerationem semipellucidum albidum, post diutinum ignem vero magis translucidum. Cum acido phosphorico vitrum praebuit laetum.

2) Percolata solutio viridis fuit, & per evaporationem crystallos dit e viridi coeruleas, tandemque nonnullas albas plumosas vel seleniticas. His in 1,5 l. aquae iterum solutis addebatur tartris potassae, ad saturationem in 1,5 l. aquae soluta. Sic præcipitabatur copiosus pulvis crystallinus albus, qui per colationem a liquore separatus late viridem habuit aspectum, & 0,563 l. ponderavit. Per ignem tubi ferramentorum

torii comburi videbatur acidum tartarosum. Pulvis residuum nigricans cum borace vitrum dedit viride, & metallum cuprum, pallide rubrum, secrevit.

3) Separata tartrite parum solubili, liquor ad siccitatem evaporatus in massam solidam viridem abivit, quæ ab aqua soluta, viridem servavit colorem, simul vero pulverem reliquit rubrum cum immixtis particulis viridi-cœruleis. Hoc sedimentum siccatum ponderavit 0,0066 l. Ante tubum ferruminatorium nigrescebat vi ignis, & in globulum cupri mutabatur. Cum borace vitrum viride & reductum cuprum exhibuit. Viriditas per diutinum ignem evanuit.

4) Liquor iterum per evaporationem coactatus fuscum nactus est colorem, spumavit, & tandem in massam sicciam, superne cinereo-fuscam, intra coloribus rubro & nigro per vitrum conspicuam, conversus est. Ex admixta aqua sentiebatur calor & odor empyreumaticus; solutioque obtinebatur turbida ex immixto pulvere sensim subidente, qui pondere 0,0087 l. efficiens, colore cinereo-viridi obscurio comparebat. Coram tubo ferruminatorio ignitus diminuebatur, rubescet, cum borace in vitrum opacum fuscum mutabatur; quod diutius ignitum, per extimam flammarum pellucidum, per interiorem semi-pellucidum rubicundum evasit, particulas chalybis colore nitentes secernens. Cum acido phosphorico vitrum rubro-fuscum opacum dedit.

5) Quo per destructionem acidi tartarosi omnes ab eo solutas partes metallicas habemus nudatas, liquorem flavo-fuscum denuo ad siccitatem evaporare fecimus, &, facta solutione residui in aqua, eandem operationem aliquoties repetivimus. Obtinimus tandem massam nigrum, cuius partem quidem aqua solvere valuit, liquorem fulvo-fuscum producens, sed qui nihil neque per carbonatorem, neque per prusiatorem, neque per hydro-sulphitem potassae additam dejicebat. Pulvis vero niger, in aqua non solubilis 0,0047 ℥ ponderavit. Hic, usita in igne parte inflammabili, reliquit pulverem fusco-rubrum, qui magneti obtemperavit, cum borace ante tubum ferrum-hatorum vitrum dedit initio fusco-rubrum opacum, deinde violaceo-rubrum semipellucidum, deinde magis pellucidum rubicundum, tandemque coloris expers. Quæ phænomena citius in flammæ apice se mutuo sequebantur, quam in interiore flamma. Cum acido phosphoricæ vitrum pellucidum dedit, in calore luteum, post refrigerationem viride.

B) Ad solvendum metallum residuum (A) adhibebatur acidum nitricum, cuius 1 ℥ addita mox effervescentiam cum rubris vaporibus produxit, & viridem obtinuit tintum: jumente deinde digestionis calore, pelluciditatem perdidit, tandem per evaporationem liquidi spissa evasit, & post refrigerationem in massam solidam, ex contextis radiis crystallinis, pellucidis, viridibus, qua maximam partem, compositam conversa est. Huic admixtae 2 ℥ aquæ turbidum fecerunt liquo-

xem⁹

rem, ex quo subsidebat pulvis ochraceus, qui in filtro collectus, per 5 l. aquæ elotus & siccatus formam ostendit tessellularum nigricantium, & pondus 0,022 l. Reperiebatur vero adhuc frustulum metalli, ponderis 0,11 l. non solutum, cuius superficies ex rubro & nigro variegata erat, & sine nitore. Hoc ab 1 l. acidi nitrici solutum liquorem exhibuit similem præcedenti. Post ejus evaporationem & solutionem in aqua obtinuimus pulverem cinereum secretum, ponderis 0,001 l.

1) Pulvis ochraceus nigricans ante tubum ferruminatum cum borace tentatus, dedit vitrum opacum rubro fuscum, quod diutius in flamma interiore ignitum pellucidum flavicans evasit, & in insima sui parte, quæ carbonem contingebat, nitorem metallicum conspectui obtulit.

Hujus pulveris 0,015 l. ex additis 26 guttulis acidi sulphurici mox cinereum acquisiverunt colorem, qui, accedente calore, in album convertebatur. Aqua admixta mox lacteum effecit liquorē, qui vero calefactus limpidus & viridis evasit. Hic per prussiatem potassæ præcipitatus, cœruleum berolinense secerit, quod elotum & in temperatura aëris siccatum, 0,0469 l. ponderavit. Liquor colatus, potassa saturatus, & evaporatus crystallos dedit sulphatis potassæ viridi colore tintas. Quarum solutio aquosa superficiem inditi ferri cupream fecit,

2) Pulvis

2) Pulvis cinereus ifidem cum borace tractatus, solvatur in vitrum viride, quod post refrigerationem coloris ferre expers fuit. Carbo luppositus colore cupri tinctus videbatur, & in ipso vitro nitebat micula metallica albida.

3) Solutionibus metalli in acido nitrico, post separacionem sedimentorum, commixtis instillabatur succinas potassae ab aqua solutus, qui dejectis precipitatum pallidum viride, quod per agitationem mixti in pulverem subtilem obscure suorum resolutebatur. Nova quantitas succinatis addebatur, usque dum viridis color nonnullatum partium precipitati neque per agitationem neque per ebullitionis calorem mutaretur. Separatus deinde colatura pulvis dejectus, elotus & siccatus ponde re efficit 0,2063 l., & colore cinereo-virente comparuit. Coram tubo ferruminatorio flamma viridi arsit, nonnihil odoris succini spiravit, chalybeum mox acquisivit colorem, deinde in globulum metallicum, magneti vix obtemperantem, intus dulitate & colore cupri gaudentem vertebarunt. Cum borace in extima flammæ apice fusus, vitrum porrexit viride, in interiore vero flamma opacum rubro-fuscum, cum particulis cupri metallici versus carbonem subjectum. 0,195 l. hujus pulveris, in crucibulo ad rubedinem ignitæ, cinereo nigrae factæ sunt, & dimidium circiter ponderis perdidérunt: pondere ravit enim massa residua 0,095 l.

4) Dejiciebatur porro solutio adhuc viridis per carbonatem potassæ alcalinum, qui parvis portionibus addebatur, do-

nec

nec liquor super pulverem præcipitatum colore fere flavo conspiceretur. Sic obtinebatur præcipitatum colore æruginis, 0,4006 l. ponderans, quod ante tubum ferruminatorium nigrescebat, qua volumen minuebatur, & granum cupri malleabilis pulvere nigro involutum super carbonem reliquit. Cum borace vitrum dedit rubro-fuscum, quod diutius ignitum pellucidum, coloris expers factum, particulis metalli albidi non liquefacti, semiductilis, oppletum esse videbatur. Cum acido phosphorico obtinebatur vitrum, post refrigerationem, extrinsecus colore plumbi conspicuum.

5) Residua solutio lutea, parum virescens, ad mixto ulterius carbonate potassæ, præcipitatum obtulit albicans, quod acri expositum pallidum viride fuit, ponderis 0,03 l. Hoc eorum tubo ferruminatorio, cum borace fufum, vitrum produxit obscuræ cinereum, quod diutius ignitum pellucidum & dilute cœruleum evalit. Cum acido phosphorico obtinebatur vitrum pellucidum, sub refrigeratione rubineum, post refrigerationem vero dilute flavum vel topazi colore conspicuum.

6) Liquor, qui adhuc flavus erat, sub evaporatione aquæ nonnihil pulvis albi demilit, tandemque crystallos prismaticas striatas citrino colore conspicuas obtulit. Ex his per calorem torrefactis, fatiscendo sejungi videbatur pulvis fulvus. Facta vero solutione per aquam, obtinebatur liquor limpidus flavus, cum pulvere albo flavicante insoluto, qui collectus &

ficcatur.

siccatus, pondere 0,007*l.* effecit. In igne tubi ferruminatorii hic obscurabatur, a borace in vitrum cinereum opacum solubebatur, quod per extremam flammam apicem mox pellucidum fuit, per interiorem vero difficiliter transparentiam acquisivit. Cum acido phosphorico quoque vitrum exhibuit initio opacum deinde pellucidum, in calore flavum, in frigore e flavo-viride, cum partibus albidis opacis immixtis. Additum his vitris frustulum cupri in globulos cupri colore rubio conspicuos formabatur.

7) Solutio flava per evaporationem ad minus spatium redacta, crystallos secrevit nitratis potassae. Liquor pellucidus flavus ab his decantatus cum tinctura gallarum commixtus, mox turbidus evasit, & copiosum pulverem albicantem demisit. Cum nitrate hydrargyri præcipitatum dedit citrinum. Cum nitrate argenti e rubro-cinereum. Hoc ante tubum ferruminatorium non fluxit, sed obscurius rubrum primo evasit, deinde videbantur globuli minimi argentei in massa non liquefacta dispersi. Per additum boracem, in unum globulum colligebatur argentum, vitrum boracis vero lacteo comparuit colore. Præcipitatum hydrargyri in igne obscure cinereum fuit, tandemque avolavit. Borace vero addito, subpellucidum fuit vitrum. Pulvis per tincturam gallarum præcipitatus, exusto acido gallico, evanuit, neque pelluciditatem vitri boracis infregit.

Ex iis, quæ jam memorata sunt, phænomenis videmus acidum sulphuricum parum aptum fuisse ad metallum nostrum solven-

solvendum, cum nonnisi exigua ejus pars susciperetur, neque a se invicem sufficienter segregarentur metalli partes. Oxidi quidem ferri nonnihil sejunctum sicut sub forma ochræ (A. 1.); sed hoc quoque heterogena substantia comitari vila est. Neque omni ex parte successit separatio ope tartritis. Primum namque dejiciebatur tartris potasæ, ex oxido cupri & forsitan niccoli, viridis (A. 2.), deinde e solutione, destruendo sensim acido, nudari viduus oxidum cupri purius (A. 3.), idem niccolo probabiliter mixtum (A. 4.), tandemque simul metallo nobis adhuc problematico (A. 5.)

Ab acido nitrico perfectius solvebatur metallum, magna quoque ferri oxidati pars secernebatur, quamvis, ne sic quidem ab oxido cupri immunis (B. 1, 2.). Residuum ferrum cum parte cupri e solutione sejunxit acidum succinicum (B. 3.). Remansisse tamen cupri non parum adhuc solutum, cum oxido niccoli, & metalli proprius examinandi indicant phænomena (B. 4, 5, 6.). Hujus partem flavidam (B. 6.), quæ suspicione zinci oxidi adtolit, alias suis naturæ, coimmixtrare nobis videtur cuprum colore non mutatum. Phænomena (B. 7.) indicare videbantur partem metallicam naturæ acidæ, volatilem.

§. IO.

De efficacia ammoniacæ in metallum Sinense oxidatum.

Utrum per ammoniacam segregari possent diversæ metalli Sinensis partes exploraturi, semunciam ejus cum sufficiente a-

cidi nitrici quantitate in loco calido collocavimus, donec perfecta eslet solutio. Liquori admiscebatur ammoniaca liquida abundans, quæ oxidum metalli deturbavit, mox vero partem disolvit, & colorem e viridi-cœruleum obtinuit. Cum subfedisset pulvis viridis non solutus, decantabatur liquor pellucidus, qui scorsim servabatur. Pulveri vero adfundebarat nova ammoniacæ copia, quæ in digestione calore, inde colore saturate cœruleum acquirebat. Hac iterum decantata, addebatur nova quantitas ammoniacæ, quæ similiter tractabatur. Et hæc operatio repeatebatur, usquequo colore cœruleo tingeretur liquor. Sie remansit tandem pulvis salco-niger, ponderis 0,0775 l.

A) Pulvis ab ammoniaca non solutus in igne nigrescebat, deinde magneti lubentissime adhærebat. Idem cum acido sulphurico, ad siccitatem super eum evaporato, masam obtulit cinereum, quæ additæ aquæ laetream dedit opacitatem, pudentium vero tota fere solvabatur, liquorem præbers dilete viridem, in quo proprietates sulphatis ferriferi soluti indubiae erant. Insolutus manuit pulvis niger, sed tam exigua copia, ut scorsim ponderari non posset.

B) Liquor viridi-cœruleus, evaporatus in masam convertebatur crystallinam, ab aqua facile solvendam. Hanc profale triplici e cupri oxido, acido nitrico & ammoniacæ habuimus: proprius vero non examinavimus.

C) Solv-

C) Solutio cyanea, per evaporationem siccata virescet, & materiam efficit ponderis 0,797 l. Ante tubum ferruminatorium hæc liquefiebat, globulum sistens metallicum cupro similem in scoriis nigricantibus inclusum. Cum borace dedit vitrum pellucidum viride, & ipsi in mixta grana cupri. Cum phosphori acido globum vitreum nigrum, cuius superficies, sub refrigeratione, metallicum obtinuit ritorem & colorem cinereo album. Per uberiorem ejusdem acidi portionem hoc vitrum rubro fuscum opacum factum est.

0,65 l. materiæ illius, per acidi sulphurici 1,5 l., excitato calore, in masam solidam coagulatae sunt, cuius maxima pars ab additis 6 l. aquæ solvebatur. Liquor sic ortus nebulosus depositum pulverem cinereum, ponderis 0,0128 l.

1) Hic pulvis in igne tubi ferruminatorii albescet. Cum borace nigrum dedit vitrum, quod diutius igni exposatum, pellucidum in calore apparuit, post refrigerationem vero rubrum opacum, tandem etiam post refrigerationem pellucidum rubineum, interdum lac scens opalinum, amethystinum; ultimo omnis ejus evanuit color. Cum vero nova quantitas pulveris cinerei vitro addita esset, redierunt phænomena colorum ordine jam descripto. Ab acido phosphorico vix fuscipatatur pulvis, quem in masam albam coactum circumcingere videbatur vitrum semipellucidum nigro cinereum.

2) Solutio sulphurica in leniore ignis gradu evaporata dedit crystallos cœruleas, 1,26 l. ponderantes, quæ omnibus

notis sulphatis cupri gaudebant. Liquor supernatans saturatus viridis, colatura e crystallis separatus & aqua elotionis auctus, ad siccitatem evaporatus, & iterum ab aqua solutus, nonnihil turbidus evasit a pulvere cinereo subidente, ponderis 0,0017 *l.* qui coram tubo ferruminatorio exhibuit phænomena modo descripta (1). Liquor viridis evaporatus demisit :

a) crystallos e viridi cæruleas prismaticas & rhombicas, quæ 0,25 *l.* ponderaverunt. Sub fornice furni docimatici usitæ, hæ, ad similitudinem sulphatis cupri in pulverem flavo fuscum reducebantur, qui deinde cum borace ante tubum ferruminatorium super carbonem tractatus regulinum cupri globulum, superficie plumbei coloris inclusum produxit.

b) crystallos virides radiatas, ponderis 0,14. Sub fornice furni docimatici resolvebantur hæ partim in pulverem virecentem cinereum, partim in grana flava, quæ sub ignitione phosphorica luce nitebant.

c) Pulvis cinereus cum borace ante tubum ferruminatorium super carbonem liquefactus exhibuit vitrum initio opacum fusco-nigrum, quod diutius ignitum semipellucidum rubicundum evasit & globalum metallicum fragilem, plumbeo colore conspicuum, magneti nonnihil obedientem obtulit.

β) Grana flava pari modo cum borace tractata vitrum debiliter violaceum, pellucidum præbuerunt, can globulo metallico

tallico chalybei coloris, fragili, magneti obsequentissimo. Cum acido phosphorico obtinebatur globulus extrinsecus colore chalybis politi nitens, intus pellucidus, vitreus, flavo-fuscus. Sapor horum granorum erat subdulcis, parum stypticus.

c) Liquor, post separationem crystallorum residuus acido parum abundans, flavum virescentem habuit colorem. Ex hoc addita ammoniaca dejecit pulverem albicanem ponderis 0,005 l., qui aeri expositus, colatura separatus & siccatus cinerereo-viridis evasit. In igne nigrescebat. Ignitus magneti non obtemperabat. Cum borace fusus vertebatur in vitrum pellucidum flavo-fuscum; cum acido phosphorico in dilute viride.

d) E liquore percolato vidimus per carbonatem potassae præcipitari pulverem album ponderis 0,003 l., qui naturam habuit carbonatis calcis. Hunc vero ortum luum duxisse putamus a calce forte in ammoniaca, quam copiose adhibueramus, soluta.

§ II.

Experimenta §:phi precedentis repetita.

Cum ex tentaminibus modo prolatis pateret, per ammoniacam vix separari posse cuprum a reliquis metalli Sinensis partibus, si ferrum excipias, melius vero has per crystallisationem sulphatum dispertiri, necessarium duximus experimen-

ta

ta §:phi praecedentis nonnihil variata repetere. Proinde frumentum metalli 0,286 l. cum 4 l. acidi nitrici, plurimum horarum spatio, in ea caloris temperatura tequimus, ut saepius ebulliret liquor. Et vidimus maximam metalli partem solutam fuisse, atque in liquore saturate viridi natare pulverem fuscum spongiosum, qui colatura colligebatur. Insolutam reperimus partem metalli cavernosam 0,1237 l., que per additam 1 l. acidi nitrici tota solvebatur, excepto pauxillo pulveris rubri,

A) Pulvis fuscus siccatus formam habuit tesselularum nigro-fuscarum, pondusque 0,08 l. Igne candefactus nigrescebat, deinde velociter attrahebatur ab admoto magnete. Cum borace copioso vitrum dedit flavo-viride, cum minore quantitate, nigro-fuscum. Ammoniacæ dilute cœruleum impertitus est colorem. Hac elotus fere quartam ponderis partem perdidit, nam 0,0478 l. pulveris, cum ammoniaca tractatae, nonnisi 0,0366 l. reliquerunt oxidi ferri nigro-fusci,

B) Pulvis ruber ponderavit 0,0006 l. & coram tubo fermentatorio similiter se gesit ac pulvis (A).

C) Solutiones per acidum nitricum factæ colorem fere cœruleum habuerunt, eumque sub evaporatione servaverunt. Commixtæ & ad siccitatem redactæ in massam viridem, crystallinam opacam abiérunt. Huic adfusa ammoniaca, calorem sensibilem produxit, partem nitratis solvit, pulcherrime cyanea evolut, & mox oppleta videbatur parvis crystallis prismaticis sap.

sapphiriniſ. Decantata parte liquida', nova' admiscebatur ammoniaca, quæ itidem cœrulea fiebat, & cum subſedifent partes non ſolatæ, decantabatur. Hac operatione plures repetita, tandem per additam aquam ſolvebantur crystalli sapphirinæ, a quibus pariter liquor cyaneus obtinebatur, quem ſolutioni ammoniacali addebamus. Sic demum nihil præter pulverem exiguum luteo-fulcum, ponderis O,02, insolutum reſtituit.

1) Pulvis hic in igne nigreſcebat, deinde ferri colore comparuit, & facultatem magneti adhærendi obtinuit. Cum borace dedit vitrum nigrum, quod diutius ignitum fulcum opacum factum eſt. Cum uberiore borace producebatur vitrum viride, ex exteriore flamma flavidum, ex interiore cœruleſcens. Cum acido phosphorico habebatur vitrum in calore nigrum, post refrigerationem pellucidum colore flavo subviridi vel topazino tinctum.

2) Liquor cœruleus in cucurbita vitrea, alembico teſta immittebatur, ex qua per destillationem maxima ammoniacæ pars separabatur. Peracta destillatione usque ad ſiccitatem, reperiebatur in cucurbita massa ex particulis flavis, viridibus que mixta, cum ſtriis cœruleis. Hoic adiuta aqua partes cœruleas facile ſolvit, que deinde colatura a partibus non ſolubiliſ ſecernebantur.

a) Solutio percolata colore habuit cœruleum saturatum, eundemque in calore ebullitionis servavit. Evaporata vero donec sub refrigeratione coagularetur, massam obtulit cœruleo-viridem crystallinam, quæ caloris ope liquefacta in liquorem cœruleum iterum convertebatur. Expulso tandem vi fortioris ignis omni sale ammoniacali, nonnihil cupri secum in vapores transferente, remansit pulvis niger, circiter 0,02 l., qui a 10 guttis acidi sulphurici aqua dilutis solvebatur.

b) Pulvis e cucurbita collectus, post siccationem dilute viridis erat, & ponderis 1,428 l. Ex hoc 1,457 l. solvabantur a 4 l. acidi sulphurici, 8 l. aquæ diluti. Addebatur liquidri solutio sulphatis (a). Et sic obtinebatur liquor viridis, ex quo subsidebat pulvis rubro-cinereus, ponderis 0,0031 l.

c) Hoc residuum in igne obscurius evasit, cum borace vitrum dedit initio nigro-cinereum opacum, deinde in calore pellucidum, post refrigerationem semipellucidum, glaucum, radiis luminis refractis rubicundum apparens. Per actionem apicis flammæ pellucidum & colore desitutum fuit etiam post refrigerationem. Acido phosphorico adiuxtum flammarum interiorum tubi ferruminatorii colore viridi tinxit. Vitrum productum initio nigrum fuit, deinde per vim flagræ interioris pellucidum in calore, sub refrigeratione viride, post refrigerationem opacum malachitæ colore, diutius ignitum idem lacteum album evasit, tandemque magis magisque evanuit color.

In extero.

exteriore flamma citius pelluciditatem acquisivit, tinctumque perdidit.

β) Solutionem viridem sulphuricam evaporare fecimus, & vidimus ex illa primum formari crystallos cœruleas, deinde, decantato in aliud vas liquore & continua evaporatione, secerni crystallos cœruleas, viridibus mixtas, porro, translatum iterum liquorem obseruavimus sub evaporatione exhalarē, pungentem odorem acidum, muriatico similem, & demum in masam ex crystallis irregulāribus, partibusque gelatinosis informem converti. Per repetitas crystallisationes & liquorū decantationes separatim obtinuimus crystallorum cœrulearum sulphatis cupri, proxime puri, 2,272 l.

Reliquæ omnes mixti salis partes ab aqua solutæ per carbonatē potassæ præcipitabantur. Cum hic nihil ulterius deciceret, liquor, subsidente præcipitato, limpidus factus decantabatur, ejusque loco adfundebatur aqua. Hac operatione plures repetita, cum omni fere sale privatum esset sedimentum, immisciebatur huic solutio potassæ, per calcem acido carbonico orbata. Hæc, cum in digestione calore collocatum esset mixtum, post subsidentiam pulveris iterum limpidus decantabatur. In ejus locum addebatur nova potassæ causticæ solutio, similiterque tertio tractabatur pulvis. Decantatis & in unum collectis liquoribus alcalinis, addebatur deinde aqua, qua similiter plures abluebatur pulvis. Hic denique in filtro

collectus & siccatus 0,53 I. ponderavit. Colorem habuit lividum cœruleofuscum. Coram tubo ferruminatorio, super carbonem, cum borace fusus, mutabatur in vitrum nigrum, quod diutius igni expositum translucidum fuit, particulis metallicis allis, quæ fulioni pertinaciter relisteant, plenum. Hoc metallum album malleo facile, magneti vero vix cessit. Cum acido phosphoricō copiose addito pulvis dedit vitrum hyazinthinum, cum minore vero ejus quantitate vitrum, quod sub refrigeratione plumbeum extrinsecus obtinuit colorem, intrinsecus flavo fuscum & opacum apparuit.

0,3 I. hujus pulveris cum pulvere boracis usi mixta, crucibulo argillaceo indebantur, sine alio corporis inflammabilis additamento, quam ipsum filtrum papyraceum, in quo collectus & elotus fuerat pulvis. Crucibulum operculo agglutinato clausum, vehementi igni per follem $\frac{1}{2}$ horas sustentato exponebatur. Reperiatur deinde in fundo crucibili vitrum partim semipellucidum, partim opacum viride & sub hoc vitro regulus metallicus stanni colore conspicuus, perfecte fulus, superficie crystallina. Præterea nonnulli minores globuli similes metalli in vitro sparsi erant. Ponderis totius sic reducti metalli æqualis erat 0,13 femuncilis. Minores reguli malleo engregie extendi poterant; major vero malleo quidem cessit, sed fissuras obtinuit cum cuderetur. Duritie videbatur superare zincum. Magneti plane non obedivit.

v) E liquore alcalino subsidebat exigua quantitas pulveris (pongiosi albi), qui, post aliquot dies, cum aer accessum haberet, fulcum rubicundum obtinuit colorem. Simil s pulveres præcipitatos habuimus, cum acidis fatiaretur potasta, & quidem alp eti obriores, colore violaceo-rubros per acidum muriaticum, exiliores, colore magis e fulco-rubros per acidum sulphuricum & nitricum. Adeo vero parce provenerunt hi pulveres, ut ex toto liquore, qui ultra EO semunciarum spatiū occupavit, eorum nonnisi O,CO + L colligerentur.

Hi in igne obscuriorcm, sere nigrum natūrā sunt colorem, deindeque labenter magneti obsecuti. Cum borace vitra derunt rubro-fusca opaca, quæ diutius ignita pellucida evaserunt, primo flavo-fusca, deinde colore dilutiore prædita, & hanc quidem mutationem premiis subierunt, cum apice flammæ torquerentur. Cum acido phosphorico vitriformi obtinebatur globulus primo niger, deinde e viridi flavidus. Pars hujus pulveris acido nitrico commissa flava evasit, solutionemque flavidam dedit. Tinctura gallarum vinosa ipsi adstillata primo ruborem produxit, deinde fulvum subviridem fecit colorem liquoris & pulverem dejecit flavidum. Ab acido muriatico qua maximam partem solvebatur colore viridi, qui non mutabatur ex insilitato acido sulphurico. Admixto prusiate potasfæ cœruleus fiebat liquor patum vero præcipitati subsidebat. Pulverem nigrum non solutum reliquit acidum muriaticum.

§.) Cum parte liquoris alkalini per acidum nitricum saturata, sequentia fecimus tentamina. 1:o Addebatur ipsi tinctura gallarum vinosa, quae mox pulverem dejectit cinereo-album, qui siccatus fere albus erat, in igne comburebatur cum phænomeno acidi gallarum, & totus consumebatur, neque limpiditudinem vitri boracis mutare valebat. 2:o Ex addito nitrate hydrargyri copiosum obtinuimus pulverem citrinum, qui in igne partim rufum, potissime vero cinereum colorem acquirerat, totusque evaporavit. Vitro boracis lacteum parum rubicundum conciliavit aspectum. 3:o Nitratem argenti addidimus, & observavimus pulverem cinereum nonnihil rubicundum dejecti. Hie siccatus in igne liquefiebat ab humore immixto, quo fugato, globuli argentei videbantur in superficie carbonis substrati. Cum borace producebatur vitrum lacteum & argenteum metallicum.

§. 12.

Corollaria ex experimentis §§:rum 10 & 11.

Evidenter jam ex allatis apparet, non cuprum solum, sed omnes etiam ceteras partes metalli Sinensis, per acidum nitricum oxidatas, ab ammoniaca suis se solutas, excepto ferri oido, quod partim sua sponte defervit, societatem acidi nitrici, partim per ammoniacam secretum fuit. (§. 11. A, B.). Hujus in §:pho 10:a (A) obtinuimus 0,0775 l. ex 1 l. metalli soluti; in §:pho 11:a (A, B.) 0,0806 l. ex 0,886 l. metalli per subsidentiam e solutionibus nitricis. Sed haec sedimenta nonni-

si 0.0605 oxidi ferri continebant, prætereaque patinum oxidi cupri, & probabiliter etiam aliquid acidi nitrici.

Ex experimentis §phi 10:me nondum quidem possumus confidere rationem proportionum partium metalli, cum non observaretur, quantum earum in sale triplici (B) contineretur. In aprico vero est, cuprum potissimum effecisse partem metalli ab ammoniaca primum & deinde ab acido sulphurico soluti. Ex sulphate namque ejus puro consistere videbantur crystalli cœruleæ (C. 2.), neque eo prorsus destitutæ fuerunt crystalli sulphatis viridis (C. 2. a & b.). Iis quoque immixtam fuisse sulphatē substantiæ, nondum nobis fatis cognitæ, arguere videntur phænomena tubi ferruminatorii (C. 2. b. α , β). Post cuprum maxima quantitate adesse videbatur basis crystallorum viridium, quam pro oxido niccoli habuimus, & minore oxidum ferri (A.) atque metallica illa substantia, quam partim sub forma pulvris cinerei (C. 1, 2.), societatem acidi sulphurici refusare vidimus, partim sulphati viridi immixtam invenimus (C. 2. b. α , β): cuius phænomena, quamvis propter heterogenea, varie immixta, non omni ex parte coincidere viderentur, præcipue tamen ab una eademque materia derivanda esse putamus. Ad fidem quoque primum est, ex eadem venisse partem pulvris per ammoniacam præcipitati (C. 2. c.) cuius alteram partem ex sulphate calcis constitisse suspicamur, cum præsentia calcis ex phænomeno (d.) pateret.

In experimentis ſphi 11:ne inopinatus nobis fuit odor acidi nuriatici, quem tub evaporatione fulphatis metallicis (C. 2. b. β., finimus; quem memoraste jam tufficiat, cum nullam ejus cognoscamus explicandi viam. Parte ex cauſa non morabitur pheonomena precipitationis in nitrate potastæ (C. 2. b. γ.) ubi nihil metallici ſupicabamur, per acidum gallarum, nitratem hydrargyri & nitratem argenti effectæ. Inquirere potius juvabit, quid de indole ac proportione partium indubia- rum metalli Snenſi jam concludi posſit.

Maximam quidem cupri quantitatem transformatam habui- mus in partem constitutivam fulphatis (C. 2. b. β.). Obtinui- mus vero hujus ſalis 2,272 l. ex 1,457 l. oxidi mixti, atque 0,02 l. oxidi cupri nigri (C. 2. a.). Erat vero tota quanti- tas illius oxidi mixti 1,438 l. Propterea si omne adhibuif- mus, habuifsemus fulphatis cupri 2 32 l. Et cum 100 partes fulphatis cupri contineant 26 partes metalli, patet ex hac ſup- putatione cuprum in his oxidis latens fuifse =0,603 l. Sed huic quantitati addatur oportet pondus cupri, tub evaporatione nitratis ammoniae (C. 2. a.) fugati, quod certius deter- minare non possumus. Attamen sine magno erroris periculo ponи posse videtur, quantitatem cupri fugati faltem æqualem fuifse quantitati cupri residui, five ei, quod in 0,02 l. oxidi nigri continentur, h. e. 0 013 l. cupri metallici. Sic habemus cuprum in metallo examini ſubj cto =0,616 l.

Polverem subviridem, obscurum e sulphate viridi præcipitatum & cum potassa caustica digestum (C. 2. b. B.) habuimus pro oxido niccoli ab aliis substantiis metallicis deparati. Sed cum in liquore aquoso spongiosam haberet formam, evitari vix potuit, quoniam nonnihil alkalini etiam post lotionem accuratisimam in pulvere relinquit. Propterea loco proportionis 122 ad 100, quam inter oxidum niccoli & metallum obtinere invenit LERGMAN, sive 135 ad 100, quæ carbonatis ad metallum censemus esse ratio, putavimus in 150 partibus pulveris memorati nonnulli 100 partes niccoli latere. Itaque cum 0,55 l. hujus pulveris obtinuimus ex 1,457 l. oxidi mixti, cuius habueramus initio 1,482 l. necesse est in computum nobis veniant 0,557 l., quibus 0,225 l. metalli respondent.

Ferri oxidum in pulvere fusco (A) contentum, separatis heterogeneis, invenimus = 0,03 l. Ejusdem proxime puri ulterius obtinuimus 0,0006 l. (B). Et cum in ceteris quoque sedimentis (C. 1, 2. b.) & præcipitato (Y) aliud ferri inservideretur, a veritate nos non multum aberrare putamus, si estimemus quantitatem ferri oxidati ex metallo in experimentis §phi 11:mae produci æqualm 0,062 l. atque si sumamus hoc oxidum ad ferrum ipsi inherens rationem habere, quam 225 ad 100. Propterea censemus ferrum metallicum in 0,886 l. metalli Sinensis efficere 0,027 l. Itaque ponendo, quod nihil præter metallicas substantias in metallo Sinensi latere, sic ordinandæ erunt partes ejus constitutivæ, ut

	in 0,886 l.	in 100 partibus
adsumt, <i>cupri</i>	— — 0,616 l.	— — — 69,6
<i>metalli clisi</i>	— — 0,225 l.	— — — 25,5
<i>ferri</i>	— — 0,027 l.	— — — 3,1
<i>metalli incogniti</i>	— — 0,013 l.	— — — 2,0
	0,886 l.	100,0

Sed dehinc videbimus, sulphur quoque parva quantitate in hocce metallo reperiri. Præterea vero, proprius examinatis singularis metalli nostri partibus, & de harum natura, et de proportione quantitatum, quam in antecesum, quasi obiter indicavimus, retractandum nobis erit,

§. 13.

Metallum album proprius examinatum.

Quod in nicolum apprime quadrent affectiones metalli albi e Sienensi Metallo educuti, haud dubie indicare nobis videbantur plurima ejus in antecedentibus enuntiata phænomena. Et hanc quidem sententiam assatim confirmavit experientia §:phi 11:me (C. 2. b. B.), ubi vidimus metallum album fere sine additamento inflammabili ex oxido suo reduci (°). Quem characterem

(°) Huic assertioni non obstante speramus considerationem tenuis charte bibule, quam in crucibulum simul cum oxido & borace immisimus. Præterquam enim, quod haec pondere vix aequiparet quartam partem oxidi; fatis constat tantam esse illius inflammabilitatem.

raffterem apud niccolum cum detegeret Cel. RICHTER (**) , non dubitavit eum inter præcipua hujus metalli criteria numerare. Sed desideravimus in nostro metallo albo virtutem magneti obediendi , quam antiquiores pro signo ferri niccolum comitantis habuerunt , hodierni vero inter proprietates niccoli purissimi referunt. Itaque in curam nostri metalli proprius cognoscendi incumbens , nonnullis cum regulo albo institutis experimentis , sequentia observavimus.

Magneti plane non obedivit , sive totus regulus , sive minima ejus rasura ipsi adponeretur.

Malleo compastum ut fissuras ageret , faciem intus granosam ostendit , & pondus specificum = 8.215 habuit.

In igne nitorem perdidit , & superficiem obtulit partim nigrum , partim rubiginis colore conspicuum . Fusioni coram tubo ferruminatorio pertinaciter resistit . Per vehementiam ignis pars oxidata in scorias nigras conversa fuit . Eorax ipsum

H addi-

tem , ut dudum combusta atque in cineres conversa esset , antequam crucibulum cum materiis inditis , obtineret ignis gradum reductioni metalli sufficientem .

(**) Neues allgemeines Journal der Chemie. 3 B. 3 u. 4 Heft;

additus vitrum dedit primo opacum rubrum, deinde dilutius coloratum pellucidum, in quo metallum album non liquefatur nitebat. Per acidum phosphoricum vero metallum non difficulter fluxit in globulum rubicundum, malleabilem, cupro duriorem, & vitrum fecit in calore opacum, post refrigerationem pellucidum, fuscum, rubrum, luteum, tandemque flavidum. Metallum sic mutatum in borace pristinam recuperavit albedinem, & refractarium evasit.

Ab acido nitrico valida cum effervescentia, calorem & rutilos vapores edens solvebatur in liquorem saturate viridem, remanente insoluto pulvere ex particulis albis, fuscis et viridis consistentes, qui post siccationem colore cinereo comparuit, & pondere circiter centesimam partem metalli adhibuit efficiebat, ab igne parum mutabatur, cum borace vitrum dedit pellucidum, cum acido phosphorico in globulum flavum opacum coivit.

Guttula solutionis in ferrum politum demissa cupream prouduxit maculam, in stannum & zincum nigricantes.

Filum ferreum solutioni inditum superficiem cupream mox acquisivit, & particulas cupri crystallinas copiose dejecit, simulque pulverem nigrum atque ochraceam. His separatis liquor e flavo viridis super ignem positus flavo-fuscus evasit. Ad siccitatem evaporatus, cum addita aqua turbidum liquo-

quorem ochraceum dedit, ex quo per guttulam ammoniacæ facile fecernebatur pulvis ochraceus copiosus, & latex obtinebatur limpidus coloris expers: Qui cum prussiate potassæ parum dedit præcipitati flavo-virentis, cum arsenite potassæ pulverem album.

Phosphori frustulum in solutionem metalli injectum, mox nigrum obtinuit colorem, deinde dilute rubra cuprea superficie tegebatur. Exemptum & coram flamma tubi ferruminatorii tentatum flamma arsit viridi phosphorica, & scorias reliquit nigras, quæ cum borace vitrum fusco-rubrum & globulum rubrum cupri porrexit. Liquor adhuc viridis erat & cum arsenite potassæ præcipitatum dedit pallidum s. dilute viride.

Arsenis potassæ s. solutio oxidí arsenici albi per potassam obtenta, e solutione metalli copiosum dejecit pulvrem kete viridem, qui coram tubo ferruminatorio parum ex arsenico olebat, & cum borace fatus vitrum præbebat rubineum.

Per prussiatem potassæ dejiciebatur pulvis cinereo-fuscus, qui pedem etiam obscurior evallis, & post siccationem obscure fuscus.

A tinctura gallarum parum mutabatur solutio metalli, ita tamen fiebat, perparum sedimenti lentissime depositum.

Cum potassa gase hydro-sulphurico satiata copiosum dedit præcipitatum nigrum.

Per ammoniacam turbata, non nihil viridis præcipitati secrevit, quod a copiosa ammoniaca in liquorem intense cœruleum solvebatur.

Vitrum viride opacum, in crucibulo, sub reductione metalli formatum, coram tubo ferruminatorio in maslam tenacem obscuram semipellucidam liquefcebat. In ferrum ipsi sub liquefactione additum nibil cupri præcipitari videbatur, vitrum tamen inde fusco-rubrum acquisivit colorem. Ab acido nitrico, per coctionem fuscipiebatur, remansit tamen infusa pars fusco viridi colore adhuc conspicua. Solutio refrigerata in gelatinam abiit, & particulas squamosas acidi boracici simul cum silica copiosa secrevit. Per additam aquam solutis & colatura separatis partibus salinis, obtinebatur liquor limpidus, qui cum prusiate potasæ, tintura gallarum & hydro-sulphite potasæ eadem produxit phænomena, ac metallum ab acido nitrico solutum, sed parcius. Cum arsenite potasæ parum dedit præcipitati albidi cinerei. Ab ammoniaca vix mutabatur; parum tamen post temporis intervalum virefcebatur. Phosphorus in hoc liquore nigram obtinuit superficiem; rediit vero pristinus phosphori color, cum abundaret in liquore acidum,

Ex his appareat, cuprum fere maximam partem efficiisse metalli illius albi, quod pro niccolo puro habebamus, idem quoque adhuc in scoria vitrea latuisse. Si itaque niccolum sit metallum a cupro diversum, & si in metallo Sinensi partem efficiat, necesse est quantitas ejus longe minor sit illa, quam in §pho præcedente indicatam voluimus.

Errata in parte prima.

pag.	1.	<i>l.</i> 13.	<i>loco</i>	malleabilitatis	<i>lege</i>	malleabilitatis
—	2.	<i>l.</i> 21.	—	metaliis	—	metallis
—	3.	<i>l.</i> 10.	—	incognita	—	incognitæ
—	—	<i>l.</i> 11.	—	gaza	—	gazæ
—	17.	<i>l.</i> 8.	—	coaretabatur.	—	coarctabatur.
—	20.	<i>l.</i> 4.	—	ferruminatorium	—	ferruminatorium
—	—	<i>l.</i> 11.	—	sociatam	—	sociatum
—	—	<i>l.</i> 15.	—	I.)	—	I. b.)
—	—	<i>l.</i> 16.	—	(D. 2.)	—	(D. 3.)
—	21.	<i>l.</i> 20.	—	crucubuli	—	crucibuli
—	33.	<i>l.</i> 11.	—	denotavit.	—	detonavit.

